

PELARGONIUM crithmifolium.

MONADELPHIA Heptandria.

CHAR. GEN. *Calyx* quinquepartitus: lacinia suprema basi deficiente in tubum nectariferum, pedicello adnatum. *Corolla* pentapetala, irregularis. *Filamenta* decem, inæqualia; quorum 3 (rarò 5) castrata. *Fructus* pentacoccus, rostratus: *Rostra* spiralia, introrsum barbata.

Sectio 4. *Fruticosa, Caule carnosio aut crasso.*

PELARGONIUM umbellis multifloris paniculatis, foliis bipinnatis carnosis apice dilatatis incisif; petalis obtusis, superioribus basi crispis.

ANGL. Samphire-leaved Cranebill.

Habitat ad Promontorium Bonæ Spei. Apud Nobiliss. Marchionissam de Rockingham floruit mense Aprilis 1792. Semina, a celeberrimo nautico D. Riou advecta, dedit D. Spragg.—^h

RADIX perennis.

CAULIS pedalis vel bipedalis, erectiusculus, fruticosus, simplex, valde carnosus, gibbosus, teres, glaucus, glaber, foliosus, apice florifer.

FOLIA sparsa, patentissima, carnosia, glauca, glabra, bipinnata; petiolis teretibus; foliolis alternis, cuneiformibus, irregulariter incisif atque apice dentatis, dentibus acutis. *Stipulae* binæ, parvæ, acutæ, membranacæ, fuscæ.

PANICULÆ solitariæ vel plures in apice caulis, alternatim supradecompositæ, in umbellas definentes 3 vel 5 floras, numerosas. *Pedunculi* atque *pedicelli* teretes, sub-carnosi, levissimè pubescentes. *Bracteæ* ad omnem paniculæ divaricationem solitariæ vel geminæ, parvæ, ovatæ, acutæ, concavæ, membranacæ, fuscæ. *Involucra* ad basin singulæ umbellæ subquina, bracteis conformia, sed minùs acuta, et margine ciliata, reflexa.

FLORES numerosissimi, inodori, minus fastuosi, nec inelegantes.

CALYCIS foliola obtusiuscula, margine membranacea, apiceque subvillosa, medio refracta; quorum supremum, parum latius, in tubum nectariferum definit sui ipsius longitudinis, pedicelloque unciali, cui adnatus est, quintuplo circiter brevior.

PETALA patentia, longitudine æqualia, alba, obovata, obtusa, quorum duo superiora basi utrinque crispa sunt, atque purpureo maculata.

STAMINA.



STAMINA. *Filamenta* decem, quorum quinque duplo breviora, antheris orbata; quinque fertilia, vix longitudine petalorum, declinata, supremum cæteris paulo brevius. *Antheræ* magnæ, incumbentes, miniatæ.

PISTILLUM. *Germen* subrotundum, parvum, quinquefulcatum, densè villosum. *Stylus* rectus, vix longitudine flaminum fertilium, parte inferiori densè villosus, superiori glaberrimus. *Stigmata* quinque, obtufiuscula, rubra.

FRUCTUM---necdum vidi.

OBSERVATIONES.


Affinis *P. ceratophyllo*, *Ait. Hort. Kew. V. 2. 422. L'Herit. Geraniol. tab. 13*; distinctissima tamen mihi proculdubio videtur foliorum laciniis dilatatis, acuminatis, nec obtusis; at præcipuè petalis superioribus margine utrinque ad basin crispato-undulatis, omnibusque obtusis; ne dicam umbellis paniculatis nec folitariis.

EXPL. TAB.

1. Flos posticè visus, pedicello infidens, cum involucri foliolo.
2. Petala superiora, anticè.
3. Petalum laterale.
4. ——— inferius.
5. Genitalia.
6. Stamina expansa, seorsim.
7. Germen stylusque.


Omnia magnitudine naturali.





BIBLIOTECA
DE
CIENCIAS, N.º 173

Pelargonium crithmifolium



EPIDENDRUM tripterum.

GYNANDRIA Diandria.

CHAR. GEN. *Nectarium* turbinatum, obliquum, reflexum. *Corrolla* patens. *Cornu* nullum. *Swartz in epist. Octob. 1792.*

Sectio 5. *Foliis bulbis innatis.*

EPIDENDRUM foliis bulbo innatis radicalibusque ensiformibus, scapis radicalibus vaginatis multifloris, germine trialato, labio petalis æquali.

ANGL. Triangular-fruited Epidendrum.

Habitat in Jamaica. In horto Honorab. Dominae Barrington floruit, mense Febr. 1793. u

RADIX e fibris paucis, crassis, carnosis, subtomentosis, longis, subsimplicibus. *Bulbi* supra terram, numerosi, ovati, subcompressi, glabri, virides, glaucescentes, unciales.

FOLIA vaginantia, erecto-patentia, ensiformia, acuta, integerrima, nervosa, glaberrima, subtus pallidiora; quorum plurima e gemmis prodeunt radicalibus, squamis oblongis, concavis, acutis vaginata; pauciora ex apicibus bulborum.

SCAPI radicales, bulbis triplò altiores, erecti; basi squamis minoribus, concavis, obtusifusculis, rubicundis, bifariam imbricatis, densè vaginati; supernè teretiusculi, racemosi, multiflori.

FLORES pedicellati, patentes, albi, inodori. *Pedicelli* angulati, germine breviores. *Bractea* solitaria, lineari-lanceolata, acuta, membranacea, floribus subæquales, marcescentes.

PETALA quinque, ferè æqualia, parum patentia, ovata, obtusifuscula, concava, alba, semipelucida. *Nectarii labium* petalis æquale, concolor et ferè conforme, nisi quod utrinque parum angulatum, et sursum subcompressum videtur.

COLUMNA GENITALIUM obtusissima, urceolata, apice eroso-dentata, operculo destituta. *Anthera* in summitate gemina, sessiles, parvæ, luteolæ. *Stigma* rima transversa, obsoleta, sub antheris. *Germen* oblongum, alis tribus membranaceis, cuspidatis, cum alulis duobus in singulo geminis latere intermediis.

OBSERVATIONES.

Dum plantas rarissimas, præcipuè Jamaicenses, in horto ditissimo Dominae Barrington apud Mongewell, anno 1791, versabam, hujusce Epidendri bulbos, aphyllis omnino, coacervatim congestos,



congestos, atque urnam totam occupantes, stupore fummo inveni. Ni melius doctus fuisssem, me catino prunis viridibus repleto incidisse, dixissem. Patronam nobilissimam iterum atque iterum obsecravi, ut dum mirifica hæc planta floreret, mecum benevolè communicaret. Nec recusavit illa, neque promissis non mansit; specimen enim hic depictum, mense Februarii primâ vice florens, ad me Londini misit, mihiq; dono dedit. Non prius videram nisi specimen in spiritu vini conservatum, quod ex horto Kewensi, jam ante duos annos, acceperat Illustr. Banks.

E X P L. T A B.

1. Flos bractea suffultus.
 2. Petala.
 3. Labium nectarii.
 4. Genitalia.
 5. Germen transversè sectum.
- Omnia magnitudine naturali.





BIBLIOTECA
DE
CIENCIAS NATURALES

Epidendrum tripterum

EPIDENDRUM *Barringtoniæ*.

GYNANDRIA Diandria.

CHAR. GEN. *Nectarium* turbinatum, obliquum, reflexum. *Corolla* patens. *Cornu* nullum.

Sectio 5. *Foliis bulbis innatis.*

EPIDENDRUM foliis lato-lanceolatis nervosis bulbo innatis, pedunculis radicalibus subunifloris, labio fimbriato, columna operculata.

ANGL. Large-flowered Epidendrum.

Jamaicæ incola est. Ex Honorab. Dominæ Barrington horto, qui plantis Jamaicensibus rarissimis superbit, florentem recepi, mense Aprilis, anno 1791. In horto Chelseano sequente vere floruit. 2

RADIX e fibris numerosis, ramosis, carnosis, fuscis, tomentosis, divaricatis. *Bulbi* supra terram plures, magni, ovati, parum compressi, glabri, superficie inequali et subfulcati, virides.

FOLIA ex apice bulborum, tria vel quatuor, vaginantia, erecto-patentia, lato-lanceolata, acuta, integerrima, nervosa, glabra, saturatè viridia, minùs rigida, margine undulata.

SCAPI radicales, triunciales, erectiusculi, uniflori, rarius biflori, teretes, virides, glabri; *squamis* tecti quatuor vel pluribus, vaginantibus, alternis, ovatis, concavis, viridibus, ferrugineo-pulverulentis.

FLOS e squamâ supremâ, parum nutans, magnitudine Limodori Tankervillæ, inodorus.

PETALA quinque, lanceolata, obtusa, subcarnosa, patentiuscula, virentia, apicem versus olivaceo-ferruginea; quorum duo *interiora* parum minora; duo *infima* basi producta, atque connata in sacculum obtusum. *Nectarii labium* e posticâ parte sacculi internè enatum, sursum omnino liberum, petalis paulo brevius, supernè callo oblongo, anticè obcordato, lutescente, porcato, tectum; margine trilobum, lobis *lateralibus* parvis, acutis, integerrimis, erectis, tenuibus, hyalinis; *terminali* maximo, ferrugineo, obtuso, supernè concavo, subtus gibbo, toto in ambitu pulcherrimè fimbriato et pallido.

COLUMNA GENITALIUM alba, basi producta, sacculo corollæ posticè, atque labio nectarii anticè ad basin adnata; apice incurva, obtusa; dorso obtusè carinata; anticè plana, obsoletè bifulca. *Operculum* acutum, intus subtriloculare. *Stamina* bina, rubra, approximata. *Antheræ* in singulo filamentò binæ, obovatæ, luteæ. *Stigma* magnum, valde excavatum. *Germen* sacculo corollæ paulo longius, viride, teretiusculum, sex-fulcatum.



OBSER-

OBSERVATIONES.

Inter tot Epidendrorum species, in hortos nostros nuper introductas, hæc magnitudine non minus quam aspectu singulari cæteris palmam præripit. Miror maximè hanc ut et præcedentem in Prodomo Clariff. Swartzii, qui Jamaicam insulam oculis tam avidis nec minus acutis perlustravit, desiderari. Aliæ forsitan, eædemque numerosæ, adhuc lateant, peregrinatorum indagatiõni quam maximè commendandæ. Vix unicam hujusce generis speciem nisi exficatam vidimus ante annum 1787, dum *E. Cochleatum* Linn. (*Jacq. Ic. rar. vol. 2. fasc. 7.*) in caldariis Kewensibus primum floruit; anno sequente, in eodem horto ditissimo, *E. fragrans* Swartz. *Prod. 123.* (*E. cochleatum* Curt. *Mag. tab. 152*, nequaquam Linnæi) mense Octobris flores suos elegantes et suaveolentes protulit. Nec rarum est hodie plurimas species, vere vel autumno, in Angliâ florentes videre. In caldario coluntur, summo calore. Cum sint omnes fere parasiticæ, præstat fragmenta corticis arborum semiputridi ad radices congerere; inde sæpius lætè vigent.

EXPL. TAB.

1. 1. Petala, magn. nat.
2. facculus corollæ.
3. Nectarii labium.
4. Columna.
5. Operculum.
6. _____ auctum.
7. Antheræ.
8. _____ auctæ.
9. Stigma.
10. _____ auctum.
11. Germen.





Epulonium Barringtoniae

BIBLIOTECA
DE
CIENCIAS ATURALES

PERGULARIA odoratissima.

PENTANDRIA Digynia. *Fl. monopetali, inferi.*

CHAR. GEN. Contorta. *Nectarium* ambiens genitalia cuspidibus quinque sagittatis.
Corolla hypocrateriormis.

PERGULARIA foliis cordatis glabriusculis, nectariis genitalibusque tubo corollæ brevioribus, stigmate conico obtuso.

P. tomentosa. Linn. *Mant.* 53, quoad descriptionem tantum.

Cynanchum odoratissimum. Loureir. *Cochinch.* 166.

Flos Siamicus. Rumph. *Amb.* V. 6, 58. t. 26. fig. 1.

ANGL. Chinese Creeper.

Patria stirpis incerta est; in Chinâ colitur, unde accepit Nob. Domina Hume, in cujus caldario florentem vidi, Augusto mense, anno 1791.²⁴

RADIX ramosa, patentissima, albida.

CAULIS fruticosus, scandens, ramofus, teres; cortice cinereo, suberoso, longitudinaliter rimoso. *Rami* suboppositi, longissimi, viminei, subsimplices, teretes, fuscis, pubescentes, foliosi.

FOLIA opposita, petiolata, patienti-deflexa, cordata, acuminata, integerrima, concaviuscula, opaca, venosa, venis margineque utrinque pubescentibus, subtus pallidiora. *Petioles* foliis quadruplo breviores, teretes, pubescentes, supra sulco exarati, basi utrinque apiceque glandulis duobus vel tribus acutis, apice fuscis, muniti. *Stipule* nullæ.

PANICULÆ axillares, solitariae, longius pedunculatæ, dichotomæ, subcorymbosæ, multifloræ, pubescentes. *Pedunculi* teretes; *pedicelli* subangulati. *Bractee* solitariae ad omnem paniculæ divisionem, lanceolatæ, obtusæ, apice dorsoque fuscæ.

FLORES magnitudine *Primulæ vulgaris*, flavescenti-virides, odore citreo fragrantés imprimis vespere

CALYX campanulatus, profundè quinquefidus, laciniis erectis, lanceolatis, acutis, venosis, leviter pubescentibus, minutè ciliatis, apice fuscis.

COROLLA hypocrateriformis. *Tubus* calyce paulo longior, obsolete pubescens, lineatus, cylindricus; basi inflatus, quinquegibbosus; faucè pervio, retrorsum valde hirsuto. *Limbus* patens, quinquefidus, laciniis longitudine tubi, oblongis, obtusis, glabris, ciliatis, obliquis, margine deflexis, subtus pallidioribus. *Nectarium externum* tubo duplò brevius, viride, e corpusculis quinque triangularibus, basi subfagittatis; dorso concavis, supernè bicrenatis; intus carinatis; apice acuto, inflexo, attenuato, albo, conniventibus: *internum* paulo brevius, e laminis quinque membranaceis, basi dilatatis; dorso excavatis; lateribus connatis; apice acuto, membranaceo, conniventibus; genitalia amplectentibus, intusque, apicem versus, cucullis duobus flavis, membranaceis, dorso connexis, antheras in situ naturali amplectentibus.

COLUMNA



COLUMNA GENITALIUM nectariis paulo brevior. *Germina* bina, supera, distincta, approximata, parva, ovata, glabra, viridia, basi glandulis pluribus, nectariferis? simplici ferie circumdata. *Styli* duo, brevissimi, connati, villosi, apice desinentes in corpus dense villosum, conicum, obtusum, nec truncatum, cujus lateribus insident *glandulae* quinque laminis nectarii alternæ, fusco purpureæ, utrinque antheriferæ. *Antheræ* duo in omni glandulâ, adscendentes, divaricatæ, obovatæ, pellucidæ, flavæ, polline vix conspiciendo. *Stigmata* obsoleta.

OBSERVATIONES.

Genitalia huic ordini naturali quam maximè obscura sunt structurâ. Planta hæc, si quæ alia, gynandra est, ut forsitan omnes quæ reverà sunt *contortæ*, quarum antheræ, facie non minus quam substantiâ, cum antheris Orchidum, mirandum in modum, concordant. Dum clariùs innotuerint, reformationem omnem, quoad classem vel ordinem, sciens prætermisi.

Est planta in hortis Indiæ Orientalis ob odorem gratissimum culta, cui nomen apud incolas *West Coast Creeper*, huic simillima adè ut vix varietas dici potest. Illa in hortum Kewensem, sub eodem tempore quo hæc, introducta est; nec differt nisi foliis parum rotundioribus, floribusque magis in fulvum vergentibus. Hujusce speciminibus in Indiâ enatis me ditavit amicissimus D. Roxburgh, sub nomine P. odoratissimæ, quod ille suæ plantæ dedit. Hoc ipse utrique varietati, jure coactus, restitui. Nomen inane P. tomentosæ retineri nequit. Specimen in herbario Linnæi sic nominatum est reverà nostra planta e Chinâ, unde ut videtur in hortum Upsaliensem illata est. Huc pertinet descriptio in Mantissa, ubi haud malè folia *glabra* dicuntur. Differentia autem specifica, et locus natalis, longè diversam spectat stirpem, Asclepiadem cordatam nempe Forkallii (*Vahl. Symb.* 1, 23.), cujus folia omnium densissimè tomentosa sunt (*Herb. Banks.*) et structura florum, ex descriptione Forkallii in *Florâ Egypt. Arab.* 49, omnino Asclepiadis.

EXPL. TAB.

1. Calyx.
2. Basis Corollæ.
3. Corolla arte expansa.
4. Genitalia nectariis cincta.
5. Nectarii externi corpusculum.
6. _____ auctum.
7. _____ interni lamina, aucta, e parte externâ.
8. _____ e parte internâ.
9. Columna genitalium.
10. _____ aucta.
11. Stamina aucta.
12. Germina glandulis cincta.





BIBLIOTECA
DE
CIENCIAS NATURALES

Pergularia odoratissima.

CONVOLVULUS speciosus.

PENTANDRIA Monogynia. *Fl. monopetali, inferi, angiospermi.*

CHAR. GEN. *Corolla* campanulata, plicata. *Stigmata* duo. *Capsula* bilocularis; loculis dispermis.

Sectio 1. *Caule volubili.*

CONVOLVULUS foliis cordatis subtus tomentoso-sericeis, pedunculis petiolo longioribus umbelliferis, calycibus acutis, caule volubili. *Dryandr. in Ait. Hort. Kew. V. 1, 211.*

C. speciosus. *Linn. Suppl. 137.*

C. nervosus. *Burm. Ind. 48. t. 20. f. 1.*

Samudra-stjogam. *Hort. Mal. V. xi. 125. t. 61.*

Habitat in Indiâ Orientali. In insulâ Mauritiî legit Commerçon. E caldario Nobiliss. Vicecomitis de Lewisham, anno 1791, accepi.

ANGL. Broad-leaved Bindweed.

RADIX lignosa, tortuosa, perennis.

CAULIS lignosus, fere arboreus, tortuosus, volubilis, altissimè scandens, ramosus, teres, tomentosus, foliosus et multiflorus. *Rami* elongati, sericeo-tomentosi. *Cirrho* nulli.

FOLIA alterna, petiolata, patentia, cordata, obtusa, mucronulata, integerrima, uninervia, venis numerosis, alternis, subparallelis; supra viridia, glaberrima; subtus omnium nitidissimè atque densissimè tomentoso-argentea. *Petioli* teretiusculi, sericei, vix longitudine foliorum. *Stipule* nullæ.

PEDUNCULI axillares, solitarii, simplices, teretes, pubescentes, longitudine foliorum, capitato-multiflori. *Involucrum* e foliolis pluribus, inæqualibus, subovatis, acuminatis, submembranaceis, venosis; intus glabris; extus pubescentibus.

FLORES numerosi, subsessiles, magni, speciosi, sed inodori.

CALYX profundè quinquefidus, intus glaber, extus pubescens; laciniis ovatis, acutiusculis, quorum tria exteriora majora.



COROLLA

CONVOLVULUS SPECIOSUS

COROLLA campanulato-infundibuliformis, calyce quadruplò longior, intus tota pulcherrimè violacea, limbo pallidiori : tubus extus fericeo-albus, prope basin contractus, et sæpe glabratus ; medio ampliatus : limbus integer, extus pallidè violaceus, glaber, plicis quinque, e tubo ortis, fericeo-albis.

STAMINA. *Filamenta* tubo corollæ quâ constrictio fit inserta, recta, filiformia, alba, basi parùm barbata, tubo breviora. *Antheræ* ovatæ, basi bilobæ, erectæ, albæ.

PISTILLUM. *Germen* subrotundum, glandulis cinctum. *Stylus* rectus, filiformis, longitudine flaminum. *Stigma* parvum, bifidum, laciniis divaricatis, acutis.


E X P L. T A B.

1. Calyx.
2. Corollæ pars inferior, cum flaminibus in situ naturali.
3. Stamen seorsim.
4. Stylus.





BIBLIOTECA
DE
CIENCIAS NATURALES



Convolvulus speciosus.

EXACUM viscosum.

TETRANDRIA Monogynia. *Flores monopetali, monocarpi, inferi.*

CHAR. GEN. *Calyx* tetraphyllus. *Corolla* hypocrateriformis, tubo ventricoso.
Capsula bifulca, bilocularis, polysperma, apice dehiscens.

EXACUM foliis oblongis nervosis amplexicaulibus, floribus quinquefidis, bracteis cordato-perfoliatis calyce longioribus.

Gentiana viscosa. *Ait. Hort. Kew. V. 1. 321.*

ANGL. Clammy Gentianella.

In Insulis Canariensibus invenit Cel. Franciscus Masson, Hort. Kew. Ex horto D. Sikes apud Hackney, anno 1791, accepi. In hybernaculo viget, æstate florens. 4

RADIX perennis.

CAULIS suffruticosus, erectus, ramosus, teretiuseculus. *Rami* oppositi, erecti, obsolete quadranguli, virides, foliosi, multiflori.

FOLIA opposita, sessilia, amplexicaulia, lanceolato-oblonga, acuta, integerrima, tri-vel quinque-nervia, reticulato-venosa, utrinque viridia, glabra, basi cordato-dilatata. *Stipulae* nullæ.

PANICULÆ terminales, erectæ, trichotomæ, ramosissimæ, multifloræ. *Pedicelli* teretiuseculi, graciles, uniflori. *Bractea* binæ ad omnem paniculæ ramificationem, ut et sub singulo flore, structurâ foliorum, sed minores, atque cordatæ, connato-perfoliatæ, nervosæ, persistentes.

FLORES amœnè aurei, inodori, parùm nutantes, magnitudine Chloræ perfoliatæ.

CALYX bracteis triplo brevior, campanulatus, profundè quinquepartitus, viscosus; laciniis erectis, obtusis, margine submembranaceis, glabris.

COROLLA hypocrateriformis: *tubus* calyce duplò longior, hyalinus, viscosissimus; basi ventricosus, tandem, increfcente germine fæctus, ovatus; fauce contractus: *limbus* quinquefidus; laciniis patentibus, longitudine tubi, obovatis, obtusis, subtus pallidioribus.

STAMINA quinque, exstantia, limbo duplò breviora. *Filamenta* fauce tubi inserta, ad superiorem partem floris inclinata, æqualia, albida, apice parùm inflexa. *Antheræ* oblongæ, incumbentes, basi bifidæ, intus longitudinalitè bifariàmque dehiscens, persistentes, nunquam spiritalitè contortæ, pallidè flavæ.

PISTILLUM. *Germen* ovale, bifulcum, viride, læve, biloculare, tubo duplò brevius. *Stylus* vix longitudine staminum, declinatus, teres, albidus, apice adscendens. *Sigma* capitatum, obsolete bilobum

CAPSULAM nondum vidi, nisi immaturam.



OBSER-

OBSERVATIONES.

Genera quæ ordinem naturalem *Gentianarum* Juss. Gen. 141. constituunt, minus clarè definiuntur apud auctores, nec facilè definienda sunt, ob calycem corollamque numerumque partium omnium infidum et variabilem. Vix ergo, nisi e staminum vel pistilli structurâ, characteres eliminare fas sit. Non convenit omnia ea genera hâc vice tractare, pauca tamen de Exaci caractere essentiali monenda duxi. Exaco propria sunt, 1. corolla hypocrateriformis; 2. stylus simplex, stigmate capitato, obsolete bilobo; 3. antheræ rectæ, intus longitudinalitèr dehiscentes. A *Gentianâ* differt itaque stylo non bifido; a *Swertiâ* defectu pororum melliferorum; a *Chlorâ* stigmate non quadrifido, numeroque partium omnium longè diverso; a *Lisiantho* stigmate non bilamellato; a *Chironiâ* antheris rectis, nec spiritalitèr contortis. Huc forsitan pertinent plures *Chironiæ* Linnæanæ.

EXPL. TAB.

1. Calyx.
2. Corolla cum tubo longitudinalitèr scisso, et staminibus in situ.
3. Germen cum stylo.
4. Stamen anticè et posticè.

Calycis bractea tubo brevior, campanulatus, profunde quinquepartitus, villosus; laciniis crenatis, marginibus submembranaceis, glabris.

Corollæ hypocrateriformis: lobis calyce duplo longioribus, hyalinis, villosissimis; basi ventricosis, tandem, inaequaliter geminis laciniis, ovatis; lacine contractas: lobis quinquepartitis; laciniis patentibus, longitudinalitèr bifidis, lobis ovatis, obtusis, subius pallidioribus.

Stamina quinque, exserta, tubo duplo breviora. Filamenta lacine tubi inserta, ad superiorem partem floris inclinata, repusta, albida, spica parum inflexa. Antherae oblongae, incurvantes, basi bifidae, immo longitudinalitèr bifidae, intus dehiscentes, persistentes, nudum (pistillum) contorque, pallide laeve.

Pistillum. Germen ovale, bilobum, viride, laeve, bifidum, tubo duplo brevius. Stylus vix longitudinalitèr bifidus, declivatus, teres, albidus, spica adhaerens. Stigma capitatum, obsolete bilobum.





BIBLIOTECA
DE
CIENCIAS NATURALES

Erythronium viscosum

(TO BE CONTINUED OCCASIONALLY)

ICONES PICTÆ PLANTARUM RARIORUM,

OR

COLOURED FIGURES

OF

RARE PLANTS.

EACH Number will contain Six Plates of such rare and beautiful exotic plants as have not appeared in print, or been sufficiently well figured by any preceding Author; with full scientific Descriptions and Synonyms.

THE Plants will all be drawn from the life, and engraved by Mr. SOWERBY, and the Plates coloured under his immediate inspection. The whole to be printed on the best woven or vellum paper, in large folio, and with the greatest elegance.

THE Price of each Number Twelve Shillings.

THE Letter-press is given in Latin and English printed separately, so that Purchasers may be accommodated with either. To those who choose both, the Price of the Fasciculus is Fourteen Shillings.

SOME Copies are taken off on much larger paper, the Price of which is One Guinea, or with Latin and English Descriptions, One Pound Four Shillings the Fasciculus.

WHEN a convenient number to make a Volume are published, proper Indexes and a Title Page will be given.

Shortly will be published by the same Author,

SPICILEGIUM BOTANICUM;

OR

GLEANINGS OF BOTANY:

CONSISTING of coloured Figures of such Plants as are either perfectly non-descript, or have not yet been sufficiently well figured; with full Descriptions, Synonyms, &c.

EACH Number will contain Twelve Figures in small folio, with a page of letter press (either Latin or English) to each, price Ten Shillings and Sixpence; or with both Latin and English letter-press, Twelve Shillings.

THIS Work is intended to contain such Plants only as can be conveniently represented on a smaller page than that of the foregoing Icones Pictæ.